

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ Decembris.

M. NICOLAO BAILLY, Doctore Medico, Præside.

An humani corporis fabricæ præest Anima?

I.

DEBEMUR morti nos nostraque. Illius rapacitati opponitur, qui cuncta producit Amor. Ad hunc fertur homo parentum sanguine, à quo sæpe corporis, & animi dotes. Naturæ generationem intendentis esca voluptas, quâ vitam interdum infestat propriam, qui lucratur alienam. Animal illud rationis particeps Instrumenta obtinet, eximiâ quâdam vi voluptatis percita. Hinc sapidum hoc venenum libat; dulcem hanc amaritudinem experitur; hinc quoque in veneris agro Pallas sibi vindicat usum. Mas & fœmina sibi sunt invicem χαειτοβλέγαρον; gratum sibi mutuò infligunt vulnus. Mulierum vultu lubricô aspici mares incenduntur; visô quoque mare ardet fœmina. In utrisque pariter fit spirituum, partiumque jucundus motus, à quo animorum consensus & copula corporum. Hæc maris & fœminæ conjunctio, immortalitatis amica, regnorum, & humanitatis seminarium est. Fœmina, altera speciei humanæ pars, non monstrum. Illa non minores in generatione agit partes; cui uni, licet semen non effundat, maris generatio referenda est. Humor quô sæpe rigantur genitalium pomœria, œstrum est veneris, saliva seminalis, non semen. Unus mas semen spiritu turgidum effundit; fœmina verò ovum largitur: hoc materiæ locum; illud formæ vices gerere verè dicas. Ab his duobus tota pendet corporis humani fabrica, quibus omnes corporis formandi partes continentur, atque spirituum luce velut ex orco emergunt.

I I.

DEI legibus obsequitur natura, quæ veluti monstrorum averfari, sic fœminarum productionem intendere videtur: adeo illa eôdem semper artificiosô apparatu, humano generi cudendo adornat officinam. Mulierum partes generationi dicatæ, externæ sunt, & internæ. Illæ dicuntur genitalis muliebris ambitus, quem infimâ, & interiori parte frænum terminat, certius forsan, quàm hymen, aut carunculæ myrtiformes, virginitatis illæsæ signum. Hæ vaginam, uterum, vasa præparantia, tubas, & testes complectuntur. Testium præcipuè, & tubarum compositionis atque usûs, hîc sumus solliciti. Ovis continendis testes; eorumdemque in uterum, in quo foventur, deductioni tubæ inserviunt. Hos usûs, probat illarum partium structura. In testibus animadverte superficiem tum ob contenta, cùm ob involucrum sive depressum, sive retractum, inæqualem; animadverte contenta in illis secundùm, vel præter naturam corpora. Insunt à naturâ vesiculæ, quas sanguineis vasis ipsas subeuntibus, ab hydatidibus distingues. Sunt quoque secundùm naturam globuli glandulis conglomeratis similes, propriâ membranâ involuti, post coitum duntaxat deprehendendi, eòque plures, aut pauciores, quò animal plures, paucioresve editurum est fœtus. Tubæ ab uteri fundo, angustô principiô ortæ, cum ad testiculos accedunt, dilatantur, rursusque ipsis propriores coarctantur, statim sese, membranâ quâdam dilaceratâ extendentes. Illæ sunt quæ ovum recipiunt, & in uterum deducunt. Nec extremitatis tubarum à testibus distantiam accuses: hanc reperies in oviparis, in quibus tenuissimô membranarum interventu, ovarium infundibulô annectitur. Tubarum, & testium unionem juvat, illarum fibras vellicans, seminis virilis spiritus, ad testiculos ascendens, ovis fœcunditatem daturus. Is solus crassissimam testiculorum membranam permeat, in ovumque intrusus, materiam intra ipsius membranas contentam incrassat, atque in globuli formam redigit, brevi ovum foràs propulsuri. Substantia quoque ovi, facile impulsioni cedens, ipsius favet in uterum prolapsui. Novo hospiti natura opiparè prospiciens, laudabilis humoris copiam ad uterum amandat, ut in eo tanquam in fertilissimo Arvo incrementum sumat. Hujus humoris distributioni confert spiritus, qui dum fœtûs humani partes in ovo contentas explicat, simul viam humori nutritiô munit; sicque jure, & meritò corporis humani fabricæ idoneus habetur auctor.

I I I.

OVUM corporis producendi compendium. Illius nomine unum intelligas germen, partes delineatas in tantulo spatio coërcens. Vitellus, albumen, eorum animantium ovis, quæ intra se ea non fovent, vel plantarum seminibus quid analogum, necessaria sunt. Testa, durior ille cortex, ovo probè denegatur, non solùm mulierum, sed etiam serpentum, ranarum, & piscium ovis non concessus. Mulieres, ova in suis testibus, meliùs ovariis, concludunt. Horum vesiculæ easdem mutationes subeunt, quas vesiculæ Racemo affixæ Avium, ex communi consensu ovipararum. Omnem ovi naturam complectitur cicatricula, seu germen. An verò quæ nunc excluduntur ova, primi germinis vi efformentur? An in ipso contenta fuerint omnia, &

inclusa? Nodus Philosophicus erit Apolline dignus. Vasis spermaticis ad testiculos allatus sanguis, tum ipsos, cùm ova nutrit, & ad quemdam maturitatis gradum promovet. Ova quippe in puellis virô maturis, ad eam amplitudinem crescunt, quæ ovariis oneri non sit, quæque corpusculum his contentum, spiritui maris recipiendo idoneum reddat. Tunc cum jungitur nobile par amantûm, quorum idem ardor sit, & impetus; hortô muliebri fœcunditer irrigarô, masculini seminis spiritus, testes, ovumque per tubas subit. Inde dilatatum, & jam amplius factum ovum, testiculi membranam dilacerat, in patulum tubæ orificium decidit, cujus undulatâ constrictione in uterum devolvitur. Undulatus hic in motricibus tubarum fibris motus, obscuros dolores, sensumque illum murium quasi gradientium in fœminis excitat, primis à fœcundô coitu diebus. Nulli adhuc uteri parti firmiter adhæret ovum, liberum remanet, nullibi, nisi quâ parte efformanda est placenta, immorandum. Conjici tamen potest alterutri potiùs uteri angulô agglutinari, ob loci angustiam, atque humoris ex tuba promanantis viscíditatem. Hîc, sive alibi detentum ovum, uteri calore fovetur, quô spiritus maris intra ipsum receptus, magis ac magis in motum cieatur. Spiritus ille, majori tùm impetu fœtûs partes subit, sanguinemque è corculô compendiarii illius animalis secum trahens, cor moveri docet, circuitumque inchoat. Eôdem spiritûs motu omnes extenduntur partes, quibus aliquomodò apparentibus, vasa efformantur umbilicalia, increscitque placentæ rudimentum. Placenta materiam sanguinis per venam umbilicalem fœtui suppeditat, sanguine fœtûs ipsa nutrienda. Ovum duabus constabat tunicis. Prima materiâ limpidissimâ referta erat, in cujus medio, aliud quasi ovum, suâ quoque membranâ uestitum innatabat. Hæ tunicæ olim ovi, nunc fœtus tunicæ sunt. In his jam, per os, humore in chorio contentô, & sanguine per vasa umbilicalia nutritur fœtus; eôdem motu quô formatus, & nutritus fuit, in lucem edendus.

I V.

HÆC omnia materiæ variè figuratæ, & dispositæ motus sunt. Ab unâ ovi structurâ, spirituque motore dependent. Confusas, extra se tamen positas corporis producendi partes continet Ovum. hæ spiritu huc, & illuc permeante evoluuntur, explicantur. Magni erit exempli res parva. Chirotheca subtilissimo corio confecta, validâ manuum compressione si attrectetur, fit rudis, indigestaque moles, quæ inspiratô intùs aëre, pristinam recuperat figuram. Majoris est momenti variarum adeò, adeò nexarum, sibique invicem mutuis stantium officiis particularum evolutio: sed quid efficere non valet, spiritus supremâ Dei lege motus, maximâ roboris vi, mirabili fermenti virtute præditus. Quid verò ardui molitur? partes primùm latentes oculis exponit. Ad hoc agens duntaxat corporeum requiritur. Movendas, tangendas sese offerunt partes materiæ, quæ nec aptiùs moveri, nec faciliùs quàm à corpore tangi possunt. Nutritio, accretio, generatio, ad motûs leges exigendæ. Anima hujus domicilii structuræ non invigilat, in quo non constituitur nisi absolutô; hujus machinæ motionibus non incumbit, quibus ne quidem obscuriori cogitatione applicatur. Quàm varia & ambigua animæ sors, & conditio! E cæle-

ſtibus natalitia ducit, ut materiæ, ſic generationis, & corruptionis expers; humano corpori ita mancipatur, ut illi ſemel juncta, abſque ſenſibus nihil cognoſcat. Apage idæas innatas : Hæ, ſi quæ ſint, corporis conſortiô evaneſcunt. Quid, factâ ſemel animæ, & corporis nuſquam ſatis explicandâ unione, cognoſcit abſque ſuô inſtrumentô Anima? Organis illa deſtituitur; torpet ipſius vis, obſcuratur intellectus; hinc ipſa intimè præſens corpori, quidquid in hoc vel geritur, vel continetur, ignorat; organorum defectu, quorum ope hæc poſſit percipere.

V.

MATERIAM quam ſupremâ ſuâ poteſtate creavit, ſolô nutu agitat Deus; non item Anima: Hæc non agitat molem nec ſeſe corpore miſcet. Opus illud Deô dignum; Animæ impoſſibile. Sat eſt Animæ tam miſerô carcere detentæ, hujus impelli, & perturbari motionibus: cur carcerem illum, adeò ſibi aliquando gravem, & ineptum, maleſana fabricaret? Nonne, ſi Anima domicilium ſibi architectaretur, totis eniteretur viribus, ut proprium ſibi conſtrueret? Nonne, ſi enitatur, animæ dedecori eſt, tantulam materiæ maſſam, pro arbitriô non diſponere, configurare, & tornare. Corpori ſolùm aſſidet Anima ſenſationum judex, quas ſine ipſâ in brutis animantibus obſervabis. Qui de hoc aliter in opinione ſunt, videant, num major materiæ, quàm animæ eſſe poſſit ad ſentiendum aptitudo? Quid ſit ſentire quæris? Primigenia vox eſt, definitione carens. Ad ſenſationem, animalis organa, ſpirituum motus ſolùm deſiderantur. Illi corporis functionibus obeundis pares, generationi ſufficiunt: Hæc, ſola particularum in ovo contentarum evolutio, à ſpiritibus acerrimô motu donatis perfici poteſt, nec præſente, nec moderante Animâ.

Non ergo corporis humani fabricæ præeſt Anima.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes-Baptiſta-Gabriel Freſſant.

M. Michael Sauvalle.

M. Ludovicus Poirier, Chirurgiæ Profeſſor.

M. Petrus Bonnet Bourdelot, Medicus Regis perpetuò ordinarius.

M. Joannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Prof. Regius.

M. Renatus le Comte.

M. Antonius le Moine.

M. Guido Creſcentius Fagon, Primarius Chriſtianiſſimi Regis, Medicus, & Archiatrorum comes.

M. Jacobus de Bourges.

Proponebat Pariſiis HONORATUS MICHELET, Barjolenſis è Gallo-Provinciâ Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.